



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. IV. Querelæ Neoerici contra P. Moyam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

etiam ut utraque videatur æquè probabilis. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ut bene P. Perez tr. 1. de Just. d. 4. n. 139. quia eadem pars esset probabilior, ut supponitur; rursus non esset probabilior, quia opposita est probabilior.

N. Ex his infer 1. DD. Catholicos admit-
tentes usum contradictoriorum probabilium
negare, quod idem simul sit, & non sit, seu
negare probabilitatem simulatis utriusque
contradictorij: 2. licet omnis res in se, vel
est, vel non est, ita iudicium de re, vel est
verum logicè, vel logicè falsum, adeoque
implicat, ut utrumque iudicium contradi-
ctorium sit simul logicè verum, non minus,
quàm implicet, ut res simul sit, & non sit:
3. item DD. & nos cum illis volumus, quod
utrumque contradictorium potest representari,
seu apparere probabiliter verum: 4. volumus
in plurimis inveniri evidenter, & certò verum:
5. in illis, in quibus non invenitur, premit-
tendam esse magnam diligentiam, ut inveniat,
si potest: 6. ad omnem honestam operationem
prærequiri iudicium certò prudens de honestate
illius, & objecti. Hinc conitat (ut bene P. Teril.
de Reg. mor. qu. 21. ait) absurdissimam esse æqui-
pationem Doctorum Catholicorum pietate, &
sapientiâ clarissimorum, approbantium usum
contradictoriorum probabilium, tum cum Heraclito
affirmante idem esse simul, & non esse; adeoque
utrumque contradictoriam dicere verum logicè;
hoc autem nos negamus, quia est evidenter falsum;
tum cum Academicis dicentibus nullum rei præ-
bendum assensum, nec ullum iudicium de honestate,
ut honestè operemur: nos autem dicimus hoc
iudicium prærequiri: quapropter immerito P. Eliz.
lib. 1. qu. 16. DD. Catholicos comparat cum dictis,
& legi potest P. Teril. l. c.

§. IV.

Querela Neoterici contra P. Moyam.

S U M M A R I U M.

Qualiter se habeat in P. Moyam, n. 165.
Doctores celeberrimos, modestiores: dictum Ca-
ram. n. 166.
Probabilissimus docet modestiam, n. 167.
P. Moya defenditur late, n. 168.
Eliz. ait, sequendam minus probabilem stan-
tem pro lege, n. 169.
Contradictio, n. 170.
P. Eliz. ait esse demonstrabile, quod probabili-
tas conscientie convenire non possit utrique ex-
tremo, n. 171.
Tom I.

Eliz. unicè negat; duplicem contradictoriam
posse simul esse probabilem probabilitate con-
scientie, non alio genere probabilitatis, num.
172.

Ait, syllogismum P. Moya non esse in formâ, n.
174.

Defendo, & ostendo, syllogismum P. Moya esse
in formâ, & non esse syllogismum P. Eliz. n.
175. 176. 177.

Ostendo etiam nostras instantias esse validas, à n.
178. ad 183.

Hac propositio, si una forma convenit uni, non
potest opposita convenire utrique, est falsa de
formâ, quæ vagè convenit huic, vel illi extre-
mo, n. 182.

Immo licet teneret in formis physicis, non tenet in
intentionalibus, n. 184.

Sicut dubium, ita duplex probabilitas est ad duo,
n. 185.

Argumentum ad hominem, n. 186.

Sicut evidentia de falsitate, aut veritate unius
vagè stare potest cum simultaneâ non probabi-
litate utriusque, ita cum simultaneâ probabi-
litate utriusque, n. 189.

Solvo iterum argumentum de formâ, à n. 187.
ad 189.

Alia defensio in favorem P. Moya, n. 190. 191.

PRODIIT indigna quocumque authore N.
quæstiuncula, & quod peius est, initio 165.
operum Patris Elizaldæ post ejus mortem P. Eliz.
Friburgi impressorum præfixa fuit, quasi
hujus Authoris labor. At neutiquam in ani-
mum meum inducere possum, quod dicta
quæstiuncula ad Logicam Moyæ, injuriarum,
& scommatum facundissima, quæ absolutio-
ne potius, quàm solutione eget, sit sapien-
tissimi Celladei, nec non nili per summum
mendacium pluribus de causis eidem attri-
bui potest: cum enim, antequam è vivis ex-
cederet, primam suam partem impressisset;
nullumque hujus nigræ quæstiunculæ ve-
stigium in eâ reperiretur, manifestè infer-
tur nigram eam quæstiunculam illi post ejus
mortem mendaciter affixam.

Rursus cum mihi in comperto sit, quod N.
Doctores sapientiæ titulo celeberrimos, sint 166.
quoque eximie modestiæ decore spectabi-
liores, quod ipsum deinde à Caramuele no-
tatum legi, qui in Apolog. pro doctrina pro-
babilitatis ait n. 103. Epistola 3. pag. 48. Sa-
nè experientia docet Argumentatores tunc
primum evomere injurias, cum syllogismis
carent: ergo injuriæ, quod magis atroces,
minus officiunt; quicumque enim vel levi-
ter Dialecticâ tinctus sibi scommatum, &
injuriarum nimbum exonerari percipit, di-
cit: Si syllogismis suis Doctores Merenda,
Cc & Fag-

& Fagnanus considerent, non illos tempestate injuriarum armarent. Hæc Caramuel. Quis D. Thom. Alexandro de Ales, D. Antonino, P. Suarez, Cardinali de Lugo, M. Godoy, M. Tapia, aliisque sexcentis sapientior? Quis quoque eisdem modestior?

N. 167. Denum cum P. Elizalde repetitis exhortationibus, & exclamationibus Lectores, & paginas fatiget, & nos ad terendos Sanctos Patres, & ad charitatem impensè colendam provocet, quis, nisi sponte se decipiat, & desipiat, judicare penes se prudenter poterit dictam quæstiunculam à religioso, & sapienti P. Elizalde calamo exaratam? Sanè quicumque ille sit nigerrimæ quæstiunculæ author (puto autem neminem de eâ gloriantum) si Anti-Probabilista est, obligans nos sub præcepto ad tutius, aut probabilius, rogo, ut ingenuè fateatur, an tutius, aut probabilius sit, tam dissona, & atrocia in P. Moyam, virum in re morali fundatissimum, & eruditissimum, evomere, adeo ut non veritus sit scribere eum ab omni Theologiæ arcendum? Ego in meo Probabilismo vivere, & mori statuo, cum inter cetera bona, modestiam doceat, quam cum tanto modestiæ dispendio ad mordacis Authoris castra transire. In promptu est, & valdè ad rem acutissimum Hispanicū adagium, *Quien mal pleito tiene, à voces lo mete*; id est, Grandibus vocibus acrem findit, qui malam causam protegit.

N. 168. Audiamus modò quid contra P. Moyam, & alios Complutenses Doctores in medium trahatur. Ait 1. P. Moyam de universo suæ doctrinæ scopo errasse, quatenus vult, quòd P. Moya dixerit, P. Elizalde sensisse, *quoties sub opinionibus fuerit, an aliquid sit necne prohibitum, eam ex præcepto eligendam, que prohibitum affirmat, si sit probabilis*. Hinc ait P. Eliz. quòd P. Moya non distinxerit inter Baron. & Celladei. Dein, ut ostendat P. Moyam errasse, appellat P. Eliz. ad primam sui primi libri quæstionem. Hæc P. Eliz.

N. 169. Sed contra 1. quia aliud est, quòd ipse Eliz. doceat solam opinionem veram esse rectam morum regulam, quod nos d. 5. acriter impugnavimus; aliud est, quòd P. Eliz. neget, eligendam opinionem faventem etsi probabilem omisâ probabiliori contra legem. Utrumque autem affirmat P. Eliz. hoc secundum affirmat *qu. 1. lib. 1. §. 4.* ubi postquam retulit sententiam docentem *opiniones minus, aut æquè probabiles contra legem, non esse regulam morum, sed quoties opinio adest vel æquè probabilis, vel probabilior pro lege, nos obligari planè ad legem*, hæc subdit: *In quam ego universam doctrinam non solum non pugno, sed*

etiam toto opere singulis illius questionibus, & ubique statuo, & tamquam in re mihi clarissima, efficacius etiam forte ago, quam vellent Adversarij. Hæc Celladei: ergo statuit, & sibi clarissimum esse supponit, opinionem non tantum probabiliorem, sed etiam probabilem, quæ non sit contra, sed juxta legem, esse sequendam, dimissâ opinione minus, aut æquè probabili contra legem: ergo P. Moya bene intellexit ipsum Celladei. Omitto notare contradictionem, nam uno in loco vult *170.* solam opinionem veram esse regulam morum, in alio opinionem magis tutam, si probabilis sit, esse regulam. Primum affirmat eodem §. 4. ubi ostendit, non tantum minus, aut æquè probabilem, sed nec probabiliorem, immo nec certam opinionem esse regulam morum, si falsa sit, sed solam opinionem veram; quod idem repetit §. 5. agendo de secundi libri divisione. Hoc autem impugnat P. Moya *tom. 2. qu. 2. à n. 5.*

Secundo ait Eliz. quòd P. Moya excessive. N. 171. rit modestiæ fines, dum *tom. 2. qu. 2. n. 1.* dixit: quòd P. Eliz. eâ tenacitate adhaerit P. Eliz. suæ conclusioni, (nempe, quòd probabile P. Moy. conscientia non possit simul convenire utrique extremo contrario, aut contradictorio) ut eam demonstrare non solum sentiat, sed proferat. Sed contra; quia omisâ comparatione modestiæ cum modestiâ, ego non video in quo hæc læsa sit; nam ipse Celladei expressè *lib. 2. qu. 11. pag. 95.* dicit, suam conclusionem non solum esse veram, sed demonstrabilem.

Tertiò queritur Celladei de Logica P. N. 172. Moyæ dicens, quòd ne quidem quæstionis titulum intellexerit, nam P. Moya habet pro titulo, *An due opiniones contrariae possint esse simul probabiles*; & pro parte negante citat ipsum Eliz. cum tamen idem Eliz. sæpe doceat duas opiniones contrarias posse simul esse probabiles, esto neget duas contradictorias esse simul probabiles probabilitate conscientie. Hæc Eliz. Sed contra; quia P. Eliz. quæstionis titulus per quæstionem ipsam explicatur: ergo etsi P. Moya titulum clarioribus verbis producere potuerit, si unice contra Celladei certare statuisset, docentem duplicem contrariam posse simul esse probabilem alio probabilitatis genere, non tamen probabilitate conscientie; attamen rectè P. Moya in genere quærit, & contendit, in omni genere probabilitatis etiam conscientie, posse duplicem contradictoriam simul esse probabilem: ergo optimè intellexit, & optimà pollet Logicâ; nam contra conclusionem particularem negativam ipsius Celladei posuit P. Moya universalem affirmativam. P. Moy. Quarto

N. 173. Quartò indignatur Celladei, quòd P. Moya omiserit in maiori tò determinatè ap-
positum à Celladei, cuius syllogismum pro-
duxit; hinc ait Celladei, non mirum si non
concludit. Sed contra; quia licet P. Moya
n. 1. omiserit tò determinatè, attamen n. 3.
in quo ostendit argumentum ipsius Celladei
esse iophilma, iisdem omnino verbis, qui-
bus Celladei utitur, & apponit tò determi-
natè.

N. 174. Quintò ait Celladei non esse mirum, quòd
syllogismus adductus à P. Moya non con-
cludat, quia constat pluribus terminis, &
lancatur, quòd P. Moya duos Celladei
syllogismos ad unum reduxerit. Hic enim
(ait Celladei) est unus syllogismus: *Forma
impossibilis cum alià determinatè in uno ex-
tremo, vagè, & indeterminatè conveniens alter-
utri duorum extremorum, est impossibilis
cum similitate ejusdem illius formæ in utroque
extremo: sed certitudo falsitatis est impossibili-
lis cum probabili conscientia comparativè ad
unam determinatè conclusionem, ut ex omnium
confessione constat: ergo certitudo falsitatis est
impossibilis comparativè ad duas indetermi-
natè conclusiones cum probabili conscientia in
utraq; conclusione: sed in omni contradictione
conclusionum adest totalis certitudo, & eviden-
tia, comparativè ad unam duarum indetermi-
natè conclusionum; ergo est impossibilis cum
probabili conscientia in utraq; simul, seu cum
similitate probabilitatis conscientia in utraq;.*
Syllogismus autem P. Moyæ est: (ait Cel-
ladei) *Forma impossibilis cum alià in uno ex-
tremo, vagè conveniens alterutri duorum extre-
morum, est impossibilis cum similitate illius
formæ in utroque extremo: sed certitudo falsita-
tis est impossibilis cum probabili conscientia in
unà determinatè conclusione, & uni, vel alteri
vagè, & indeterminatè convenit; ergo est in-
impossibilis cum probabili conscientia in utrâ-
que conclusione simul.* Ecce, ait Eliz. mirum
non esse, si syllogismus P. Moyæ non con-
cludit, quia cauda illa minoris, & uni, vel
alteri vagè, & indeterminatè convenit, destruit
formam syllogisticam: nam minor illa con-
tinet duas assertiones, & tres ad minimum
terminos: prima assertio est, sed certitudo fal-
satis est impossibilis cum probabili conscientia;
& hujus enim assertionis subjectum est tò
certitudo falsitatis; prædicatum est, tò con-
venientia cum alterutro vagè; atque adeo, ecce
tres termini, certitudo, impossibilitas, con-
venientia vagè; adeoque ecce alteram asser-
tionem, certitudo falsitatis uni, vel alteri in-
determinatè convenit; ergo nil mirum, si non
concludat, quia sunt quatuor propositiones,
nam minor habet duas. Hæc Celladei. Sed

Tom. I.

libeat solatij gratiâ exclamare: Tantumne
caloris, & negotij in re adeò frigidâ, nullius-
que negotij! Verùm has tricas ad trutinam,
et si inviti, vocemus, & extricemus. Quare

Contra 1. quia familiarissimum est Philo-
sophis, & T. T. construere syllogismos, qui
licet brevitas gratiâ ad unum reducantur,
attamen æquivalenter sunt plures; adeoque
et si plures habcant terminos, quàm tres,
nullus eam terminorum pluralitatem, quæ
est omnino materialis, nec terminos forma-
les syllogismi immutat, vitio vertit: ergo,
et si syllogismus P. Moyæ plures habeat ter-
minos, quàm tres, quia duos syllogismos ad
unum reduxit, non est tamen illi verten-
dum vitio, cum ad duos reducere faciliè po-
tuisset. Antecedens patet in hoc syllogismo:
*Omnis pater amat filium, Petrus est pater, quia
genuit Paulum, ergo amat Paulum.* Hic, & si-
miles syllogismi habentur, ut optimi, et si
plures habeant terminos, quàm tres; quia
licet apparenter sit unus syllogismus, est ta-
men æquivalenter plures. Consequentia patet;
quia syllogismus P. Moyæ potest reduci
ad duos. Addo, si, quia minor P. Moyæ
habet aliqua, quæ superfluent, non est bona,
nec erit bona minor Celladei, quia continet
hæc verba, *ut ex confessione omnium constat*,
quæ neque in maiori, neque in conse-
quenti reperiuntur.

Contra 2. quia reverà syllogismus P. N.
Moyæ est in formâ, si vel in maiori pro ver-
bo convenit, ponatur participium conveniens; P. Moyæ
vel in maiori ponatur verbum convenit; talis
enim est: *Forma impossibilis cum alià
determinatè in uno extremo, vagè conve-
niens alterutri duorum extremorum, est in-
impossibilis cum similitate illius formæ in
utroque extremo: sed certitudo falsitatis est
impossibilis cum probabili conscientia
in unà determinatè conclusione, & est con-
veniens indeterminatè uni, aut alteri extre-
mo: ergo certitudo falsitatis est impossibili-
lis cum probabili conscientia in utroque
extremo, seu in utraq; conclusione simul.*
Hic syllogismus P. Moyæ est omnino in for-
mâ; quare miror, quòd Celladei dixerit,
non esse in formâ, quatenus minor continet
duas assertiones, & tres terminos; hoc enim
est falsum: nisi dicere etiam velit, quòd
maior habeat duas assertiones, & plures ter-
minos. Si autem hoc dixerit, nihil dicet; nam
non est novum, quòd propositio componi
possit ex pluribus. Quòd autem minor P.
Moyæ non contineat, nisi unam assertionem,
adeoque duos tantum terminos, patet 1.
quia subjectum est certitudo falsitatis; prædi-
catum est forma impossibilis in utroque ex-
tremo

Cc ij

tremo

extremo, vagè conveniens alterutri extremo. Patet 2. quæro enim à P. Eliz. an ejus maior continet duas assertiones? Si affirmat; ergo ejus syllogismus non erit in formâ. Si negat, contra erit; quia sicut ipse dicit contra P. Moyam, quod *certitudo falsitatis, impossibilis, & convenientia vaga*, sunt tres termini minoris P. Moyæ, ita ego dicam, quod *impossibilitas forma cum aliâ in eodem extremo; convenientia vaga illius ad alterutrum extremum; impossibilitas cum similitudine ejusdem forma in utroque extremo*, erunt tres termini. Sicut autem hoc non nisi Logica ignarus dicet, ita nec illud. Ratio est; quia sicut termini, qui sunt in maiori Celladei, se habent, vel ex parte subiecti, vel ex parte prædicati, limitando illa; adeoque non sunt plures, quam duo termini, cum omnia se teneant, vel ex parte subiecti, vel ex parte prædicati; ita ego dico de minori P. Moyæ; nam *certitudo falsitatis* est subiectum; *impossibilitas cum probabili conscientia in una determinatâ conclusione, & uni, vel alteri indeterminate convenit*, est prædicatum: ergo in minori P. Moyæ non sunt, nisi duo termini.

N. 177. Contra 3. quia tantum abest, ut syllogismus P. Moyæ non sit in formâ, quin syllogismus P. Elizaldæ eâ caret; ecce enim ejus syllogismus: Forma impossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo, vagè, & indeterminate conveniens alterutri duorum extremorum, est impossibilis cum similitudine ejusdem illius formæ in utroque extremo; sed certitudo falsitatis est impossibilis cum probabilitate conscientie comparative ad unam determinatam conclusionem; ergo certitudo falsitatis est impossibilis comparative ad duas indeterminate conclusiones cum probabili conscientia in utraque simul conclusione. Hunc autem syllogismum carere formâ, constat evidenter; nam si est in aliquâ figurâ, est in Darij; maior enim est universalis affirmativa; minor, & consequentia particularis affirmativa: certum autem est, quod medius terminus, qui est subiectum in maiori, debet in minori esse prædicatum; cum ergo medius terminus, seu objectum maioris P. Elizaldæ sit, *forma impossibilis cum aliâ determinatè in uno extremo, vagè conveniens alterutri duorum extremorum*, consequenter prædicatum minoris debet esse, *forma impossibilis cum probabili conscientia comparative ad unam determinatam conclusionem, vagè, & indeterminate conveniens alterutri conclusioni*; non autem debet esse hoc tantum, *forma impossibilis cum probabili conscientia comparative ad unam determinatam conclusionem*; nam mutaret medium

terminum, non retinendo in minori eundem prorsus medium terminum, solâ exceptâ quantitate, quam habet in maiori: ergo tantum abest, ut argumentum P. Moyæ careat formâ propter ea verba, *vagè, & indeterminate alterutri extremorum convenit*, quin ut sit in formâ, debet hæc verba continere; immo propter hoc argumentum P. Elizaldæ caret formâ, quia ejus minor non continet ea verba, adeoque mutat medium terminum, non retinendo eum omnino, qui erat in maiori.

Sexto P. Eliz. iterum obtrudit Logicam P. Moyæ, dicens, quod in instantijs contra se adductis maiorem, & consequentiam fecerit conditionalem; hoc autem (inquit) est peccare in Logicam, juxta quam nulla est forma de consequentia conditionali. Sed contra, ne paginas tricias, quas horreo, impleam, (preterquamquod ego eos syllogismos reduxi ad consequentiam absolutam) quæro, an instantia adducta à P. Moyâ sit valida? Si non est, ostendat P. Eliz. ejus non valorem: si est, formabo hoc modo argumentum: Quoties in aliquo duorum extremorum datur forma impossibilis cum aliâ, toties forma opposita non potest in utroque simul inveniri: sed in alterutro horum contradictoriorum (esse, non esse) datur necessitas, quæ est forma impossibilis cum contingentia: ergo in utroque simul non potest dari contingentia: ergo utrumque non potest simul esse contingens; hoc autem est evidenter falsum.

Septimo ait P. Eliz. quod dum P. Moyæ, N. adductis instantijs, & eadem, quâ Celladei, utitur arguendi formâ, dixit syllogismum P. Celladei non valere, quia mutatur suppositio, & transit à confusâ ad determinatam, debuisset P. Moyæ (ait Celladei) asserre definitionem utriusque suppositionis confusæ, & determinatæ, & ostendere, quomodo una in minori interveniret. Sed contra; quia vir doctus doctos alloquitur; docti autem facile vident mutationem suppositionis; & nos §. 3. fuisse ostendimus, & paulò antè præfati §. diximus, minorem argumenti P. Elizaldæ esse diversam à medio termino maioris, nam in minori omittit *vagè, & indeterminate convenit alterutri conclusioni*. Non immerito autem in examinandâ explicatione suppositionis determinatæ, & confusæ, quam tradit.

Octavo P. Eliz. §. 2. ut ostendat nullas esse adductas à P. Moyâ instantias, ait, eas non quadrare, quia maior, quam Celladei adducit, est de formis conveniabilibus determinatè uni extremo: sed contingens, & dubium

bium (hæ enim sunt instantiæ à P. Moya adductæ) ex suo formali conceptu sunt formæ non convenibiles uni determinatè extremo, quia contingens dicitur ad esse, & non esse, & dubium est etiam ad duo, nempe an res sit, vel non sit: ergo contingens, & dubium non sunt formæ comprehensæ per propositionem universalem maiorem; ergo nec minor, nec consequentia de illis esse possunt.

N. Sed contra; quia P. Moya ita arguebat: 181. Sicut evidentia, vel certitudo falsitatis est forma impossibilis cum dubio determinatè de eodem extremo; & quia est forma conveniens indeterminatè alterutri ex contradictorijs extremis, idè stat cum similitudine dubij de utriusque contradictorij veritate: ita etiam evidentia falsitatis, quæ quoad idem extremum non est componibilis cum probabilitate veritatis, quia tamen est forma indeterminatè conveniens alterutri contradictorio, erit incomponibilis cum simultaneâ probabilitate veritatis utriusque contradictorij. Hic est sensus P. Moya, quem fortè Celladei non attigit. Quod autem dubium, & contingens sint necessariò ad duo, non autem probabile, non est ad rem. Non enim instantia trahitur, nisi ut probetur, quod possit forma aliqua impossibilis cum aliâ in uno determinatè extremo, possit, inquam, eadem componi cum similitudine formæ oppositæ in utroque extremo, si eadem forma alterutri extremo indeterminatè conveniat: ex. gr. evidentia falsitatis de alterutrâ conclusionem componi potest cum simultaneâ probabilitate de utriusque veritate, eo modo, quo evidentia falsitatis de alterutrâ conclusionem componi potest cum simultaneâ dubio de utriusque veritate. Hinc P. Moya propter hoc rectè dixit, maiorem non esse universaliter veram, immò falsam, si loquamur de quasi formis, quæ ex nostro concipiendi modo pendent, ut est, rem esse evidentem, esse probabilem, esse dubiam.

N. Confirmo hanc doctrinam; ita enim arguo: 182. Quoties datur forma impossibilis cum aliâ in uno determinatè extremo, vagè conveniens alterutri, toties per Celladei dari non potest in utroque extremo forma opposita: sed obligatio audiendi diè festo alterutrum è duobus sacris, (suppono non dari plura) est forma impossibilis cum de obligatione utriusque sacri: ergo si in me datur obligatio ad alterutrum sacrum, non potest in me dari deobligatio ab utroque; sed hoc est evidenter falsum, nam etsi tenear ad alterutrum indeterminatè, attamen nec teneor determinatè ad sacrum A, nec teneor

Tom. I.

determinatè ad sacrum B: ergo cum obligatione indeterminatè sacri potest stare deobligatio ab utroque determinatè sacro, etsi non possit dari deobligatio ab alterutro indeterminatè: ergo maior illa (si datur una forma opposita, non potest opposita convenire utrique) est falsa, si sermo sit de formâ, quæ convenit vagè huic, vel illi extremo.

Ad id quod P. Eliz. addit, suam maiorem esse de formis convenibilibus determinatè uni extremo, ut est probabilitas, quæ est forma conveniens determinatè uni extremo; dubium autem, & contingens non possunt convenire uni determinatè extremo, cum contingentia sit indifferentia ad hoc, vel illud; & dubium etiam sit ad hoc, vel illud: dico me non videre quid hoc proferat ad intentum, etsi quoad hoc differrent, nam sicut cum evidentia falsitatis de alterutro stare potest dubiū de veritate utriusque extremi determinatè, & collectivè sumpti; ita multo magis cum evidentia de falsitate alterutrius extremi stare poterit probabilitas de veritate utriusque extremi determinatè sumpti: ergo quod dubium dicat essentialiter duo extrema, probabilitas ex se non dicat, duplex tamen probabilitas dicit duo extrema: ergo sicut evidentia falsitatis stat cum simultaneâ dubio veritatis utriusque extremi, ita etiam cum simultaneâ probabilitate veritatis utriusque extremi. Deinde quid dicit Celladei ad paritatem de evidentia disjunctivâ veritatis, vel falsitatis unius numero propositionis, quæ stat cum simultaneâ probabilitate de veritate, & falsitate ejusdem? Licet enim mihi evidens sit alterutrum, quod hæc propositio, *Petrus currit*, vel sit vera, vel sit falsa; potest tamen simul esse probabile, quod sit vera, & quod sit falsa, licet non sit probabile, esse simul veram, & falsam. Rursum, quid ad paritatem oculorum? Licet enim evidens mihi sit, *requiri indeterminatè alterutrum oculum*, attamen simul est evidenter falsum, *requiri oculum A*, *requiri oculum B*: ergo sicut cum evidentia de veritate hujus propositionis disjunctivæ, *requiritur vel oculum A, vel oculum B*, stat duplex evidentia falsitatis de quâlibet parte propositionis determinatè sumptâ; ita multo magis cum evidentia falsitatis de alterutrâ ex contradictorijs stare poterit duplex, seu simultanea probabilitas de veritate utriusque.

Dices cum P. Eliz. se assumere pro medio termino impossibilitatem duarum formarum comparativè ad unam determinatè conclusionem, seu extremum; at P. Moya non assumit pro medio termino aliquid comparativè

N.
183.
P. Eliz.

N.
184.
P. Eliz.

Cc iij parativè

parativè ad unum determinatè extremum. Sed contra; quia dubium cadit determinatè supra utrumque extremum, esto veritas sit disjunctivè in alterutro, & determinatè in uno tantum: si ergo evidentia falsitatis indeterminatè de alterutro stare potest cum simultaneo dubio de veritate utriusque contradictorij determinatè sumpti, cur evidentia falsitatis indeterminatè alterutrius extremi stare non poterit cum duplici probabilitate de veritate utriusque extremi? Nam intentum Celladei est, quòd si una forma convenit alterutri contradictorio, non potest forma opposita convenire determinatè utrique: sed certitudo falsitatis convenit alterutri contradictorio: ergo probabilitas veritatis (quæ est forma opposita certitudini falsitatis) non potest convenire utrique. Ita enim Celladei arguit, etsi obscurius. Nos autem dicimus maiorem esse falsam, loquendo de formis intentionalibus, seu modo nostro concipiendi objectum; licet de formis physicis teneat. Probavimus; quia evidentia falsitatis de alterutro contradictorio stat cum duplici dubio de veritate utriusque contradictorij determinatè sumpti. Ex hoc autem quòd dubium necessario sit ad duo, probabilitas non sit ad duo, saltem duplex probabilitas utriusque contradictorij est ad duo. Rursus ex hoc quòd veritas, de qua dubitamus, sit quoad nos in alterutro extremo, attamen noster actus intellectus, seu dubium afficit simul utrumque extremum. Similiter dicimus, quòd esto maior esset vera, negamus tamen certitudinem falsitatis de alterutro indeterminatè contradictorio, repugnare cum probabilitate veritatis de utroque determinatè, licet falsitas alterutrius repugnet cum veritate utriusque, & sapientia alterutrius Doctoris contradicentis repugnet cum ignorantia utriusque. Ratio est; quia veritas, & falsitas non pendent à nostro concipiendi modo, sed ex se, & ex sua naturâ opponuntur; sicut etiam sapientia, & ignorantia: ergo si alterutri contradictorio convenit falsitas, non potest utrique convenire veritas. At certitudo de falsitate alterutrius cum probabilitate de veritate utriusque non opponitur; quomodo probabilitas de veritate non opponitur probabilitati de falsitate, etsi veritas, & falsitas opponantur.

N. 186. Demum ad hominem contra P. Eliz. est
P. Eliz. 1. quia probabile est contingens quoad nos,
P. Card. & nostram scientiam, ut bene docet P.
Caram. Card. tom. 1. d. 7. n. 3. contra Caramuelem:
Cellad. ergo si argumentum, ut ait Celladei, non
valet in contingenti, nec valebit de proba-

bili. Secundò, quia falsum est, quod ait P. Eliz. §. 2. quòd tunc medius terminus est impossibilitas duarum formarum comparativè ad unum extremum; sed ut constat ex dictis hæc scilicet §. 1. ubi adduxi ejus argumentum, est forma impossibilis cum alia determinatè in uno extremo, vagæ; & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum: ergo vel instantiæ datæ à P. Moya de simultaneo dubio utriusque, quòd stare potest cum certitudine de alterutrius veritate; & de simultaneâ utriusque contingentia, quæ stare potest cum alterutrius necessitate, tenent; vel si non tenent, ut certo non tenent, nec argumentum Celladei; nam utrobique par ratio.

N. 187. Nonò, omisiss pluribus, quæ dicta quæst. 2. congerit, ait §. 3. quòd P. Moya turpius lapsus est, dum putavit, quòd Celladei dicat probabilitatem, & falsitatem esse formas oppositas; cum tamen meum argumentum, (ait Celladei) procedat de certitudine falsitatis, & probabilitate conscientiæ. Sed contra 1. quia vereor, ne ad rem congruat, quòd Caram. in Apologem. n. 43. dixit de Fagnano; *Obloqui scit, loqui nescit*; & docet n. 103. urbanè tractandos, qui inurbanè tractant. Contra 2. quia P. Moya duo contra Celladei ostendit. Primum, quòd certitudo de alterutrius contradictorij falsitate, non repugnet cum probabilitate utriusque; Celladei autem asserit hoc repugnare. Secundum, quòd probabilitas conscientiæ, & veritas non sint idem, cum tamen Celladei idem esse pluribi asseret. In quo ergo lapsus est?

N. 188. Decimò Celladei impugnat P. Moyam dicentem, quòd argumentum Celladei teneat in formis, quæ se ipsis contrariantur; si enim una convenit uni extremo, non potest opposita convenire utrique; non tamen teneat in formis, quæ se ipsis non contrariantur, sed tantum ratione alterius modi superadditi; pluribus autem non cum modo contra hunc modum à Celladei dictis, & à me omisiss, argumentum toties coctum, ita recoquit. Omnis forma impossibilis cum alia comparativè ad unum determinatè subiectum, impossibilitate etiam à modo superaddito proveniente, indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum, est impossibilis ratione modi cum similitate ejusdem formæ in utroque. Patet: Si enim Deus decernat albedinem, & frigus non esse in eodem subiecto, si albedo sit in Petro, vel Paulo, non poterit frigus esse in Petro simul, & Paulo; ergo impertinens est, quòd formæ se ipsis opponantur, vel modo addito, si re ipsa simul esse non possunt. Hæc Cellad. Sed

N. 189. Sed contra 1. quia argumentum est ab eo solvendum in similitudine probabilitatis non conscientiae, quae itat cum evidentiâ falsitatis de alterutro contradictorio. Secundo, quia aliud est P. Moyam dicere, quod maior Celladei valeat tantum in formis ex se contrariis, non autem in contrariis ratione alicujus extrinseci; aliud in contrariis ratione cuiusque extrinseci. Fatcor, quod impossibile erit, ut frigus sit in Petro simul, & Paulo, si Deus decernat, quod frigus non sit in subiecto albo, & alteruter ex istis sit albus; quia, quod facit contrarietas naturalis duarum formarum, multo magis facit decretum Dei; ergo si duae contrariae non possunt esse simul, eandem impossibilitatem dabit decretum efficax Dei de non similitudine earum in eodē. At probet nobis Celladei, quod certitudo de falsitate vagē alicujus contradictorij excludat iudicia probabilia de veritate utriusque: excludit quidem certitudo de falsitate hujus determinatē contradictorij iudicium probabile de veritate illius, quia inter se opponuntur; & implicat, ut A sit certū, aut evidenter falsum, & simul addit iudicium probabile, quod sit verum: attamen evidentiā de falsitate alterutrius non excludit utrumque iudicium probabile, immo neutrum iudicium probabile de veritate utriusque contradictorij determinatē sumpti excludit; eo modo, quo evidentiā de alterutrius veritate non excludit duo dubia de falsitate utriusque determinatē sumpti: sicut ergo esso alterutrum indeterminatē sit mihi evidenter verum, attamen utrumque determinatē potest non esse probabile; & evidentiā de veritate alterutrius non trahit secum iudicium probabile de veritate unius determinatē sumpti; potest enim nullum determinatē esse probabile: ita evidentiā de falsitate alterutrius non excludit duo iudicia probabilia de veritate utriusque determinatē sumpti, adeoque cum tali evidentiā de alterutrius falsitate stare poterit duplex iudicium probabile de veritate utriusque determinatē sumpti.

N. 190. Undecimō ait P. Eliz. quod cum argumentum, juxta P. Moyam, valeat de sapientiā, & ignorantia, quod si in alterutro tantum est sapientiā, non possit in utroque Doctore simul esse ignorantia; & contra, si in alterutro contradicente est ignorantia, non poterit in utroque simul esse sapientiā; sequitur saltem, quod eadem conclusio non poterit esse simul ab extrinsecō probabilis; & sic P. Moya manebit absolutē captus. Sed contra; quia cum uterque Doctor contradicens probet probabiliter tantum suam cō-

clusionem, in nullo est sapientiā strictā, ut importat evidentiā veritatis; & in utroque est sapientiā latē, ut uterque iudicat ductus motivis gravibus, & rationabilibus; quae sapientiā stare potest cum ignorantia (prout hic dicit non evidentiā) veritatis in utroque; ut enim quis sit taliter sapiens, non est necesse, ut dicat evidenter verum, satis si dicat probabiliter verum, seu verosimile ex gravi fundamento; esto autem alteruter dicat vagē certū falsum, uterque tamen dicit probabiliter verum.

Duodecimō P. Eliz. §. 4. expōit errata N. contenta in doctrinā P. Moye. Primum est, 191. (ait) quia non loquitur de probabili conscientia, cuius tamen simultaneam probabilitatem Celladei negat. Sed contra; quia legenti P. Moyam constabit latē, quod probet possibilem simultaneam conscientiae probabilitatem, & fuisse impugnāt Elizaldam hoc negantem, & confundentem probabilitatem conscientiae, seu realem cum veritate. Secundum est, (ait) quod P. Moya citet Elizaldam pro parte negante simultaneam probabilitatem, quam tamen affirmat possibilem, dummodo non sit probabilitas conscientiae. Sed contra; quia P. Moya bene citat; immo P. Moya, & omnes ex simultaneā probabilitate speculativā utriusque contradictorij arguunt ad simultaneam probabilitatem conscientiae; & quidem nec levem Celladei disparitatem dat: ergo si negat simultaneam probabilitatem conscientiae, negare etiam debet simultaneam non conscientiae; & si hanc affirmat, illam etiam affirmare debet. Tertium est, (ait) quod P. Moya vocet Elizaldam pedissequum. Card. Pallavicini. Sed ignoro in quo P. Moya erraverit, qui enim alterius doctrinae inhaeret, pedissequus est; nisi Celladei velit hujus singularis doctrinae Proto-Magister dici. Quartum est, (ait) quod P. Moya putet Elizaldam negare, quod falsa possint esse probabiliora veris. Sed recte P. Moya se gessit, cum enim Celladei doceat nullum falsum esse probabile probabilitate conscientiae, licet possit alio genere esse probabile, nempe probabilitate sophistica, (satis enim erit legere lib. 1. qm. 1. §. 4. & 5.) consequenter P. Moya hoc ipsum impugnat, & dicit probabilitatem conscientiae non esse idem ac veritatem, nec probabilitatem convenientem duplici opinioni non conscientiae esse sophisticam. Diſſerſia, quibus Neotericiis fervet, non sunt mei instituti, cum, ut dixi, absolute potius, quam solutione egeant.